

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Dissertationum Medicarum De Connubio Astrææ Cum
Apolline, Circa Medicinam Forensem**

De Inspectione Cadaveris In genere

Emmerich, Georg Emmerich, Georg

Regiomonti, 1710

VD18 1310747X-001

§. IX.

urn:nbn:de:gbv:45:1-8856

7
virago delilata, an in flumine repertus antè trucidatus fuerit
nec ne, aliisque sententiam decretoriam ferre, nisi Apollin-
nem dulcissimi mariti instar hac in re versatissimi ac pruden-
tissimi consuluerit, ejusque genuinam sententiam exaudi-
verit.

§. IX.

Approbat Connubium hoc ipse Imperator Justinianus,
dum cuique suum tribuere, §. 3. Inst. de just. & jur. & Peritis.
in arte fidem adhibere decernit Bart. in procem. ff. in l. Const.
1. 8. Mascard. de probat. l. 2. Concl. 1034. n. 1. Carpz. Crim. p.
1. const. 26. n. 24. imò septimo mense partum perfectum na-
sci ob Autoritatem Hippocratis doctissimi Viri statuit L. 12. ff.
de stat. hominum, aliisque in locis, ubi rerum ad medicinam
pertinentium mentionem injicit. Testes istius connubii inter
Juris Consultos ferè tot sunt quot Commentatores rerum Cri-
minalium, de Homicidio &c. qui omnes ad medicos provo-
cant ut Menochius, Mascardus, Codronchius, Farinacius,
Carpzovius aliq; Ex Medicis Rodericus à Castro, Fortunatus
Fidelis, Fienus, Zachias, Welschius, Ammannus, Bohnius &c.
Imperator imprimis Carolus Vtus in Nemesi suâ Connubi-
um hoc, ob injuriam temporum ac inscitiam seculi decimi
quinti ac initii sexti infractum, reparavit ac refarcivit, cui
genuini Justitiæ Præsules it. Rerum naturalium Mystæ ad-
stipularunt. Hinc tot Inspecciones, Relationes, Depositiones,
Renunciations ac Attestata, vulgo Obductions- Zettel
prostant, de quibus ut integræ Facultates ac Academiae judi-
cium suum communicent, rogantur ac invitantur. Mens
itaq; nostra est, ea quæ à Medico requiruntur, sicubi ad in-
speccionem cadaveris vocatus fuerit, eamque legitimè ad-
ministrare voluerit, inquirere ac exponere, legalitatem hinc
ab Astræâ i. e. Juris Consultis, in quantum negotio nostro in-
serviunt,



8
serviunt, mutuabimur Apollinem verò partes Medici defensus-
rū audiemus. Ut eò melius hæc tradantur, certū quendam ca-
sum de lethalitate Vulneris ac Contusionis Capitis Magistratui
quondam Lœbnicensi exhibitum, in controversiam postea
raptum, ac hinc indè agitatam, tandem à Facultate Medicâ
Regiomontanâ decisum hîc in medium adducemus, & ex
eodem quæstiones cum insequentibus responsionibus for-
mabimus sicque ea, quæ de Inspectionibus, vulgò Obductio-
nibus, minus quidem latino sed jam in vulgus noto, german-
is impr. usitatissimo vocabulo, dici possunt, dilucidè, quan-
tum possibile, exponemus.

§. X.

Casus iste erat sequentibus in relatione verbis expres-
sus, & sub sign. ☉ huic dissertationi annexus reperitur, ex
quo sequentes elicimus quæstiones, quibus in genere quas-
dam præmittimus.

§. XI.

Quæritur I. in genere an necesse sit, inspectionem Ca-
daveris Occisi instituere?

Resp. Ne inultus maneat sanguis temerariè effusus, sac-
cer Codex Genes. 9. v. 6. Matth. 26. v. 52. Apocal. 13. v. 10. in-
jungit; hinc gladio armavit Magistratum Deus, ut vindex
sit, sanguinis præsertim temerè effusi ad Romanos 13. v. 4.
ast ne insons damnetur, omnis certè cura est adhibenda. Re-
ctissimè enim Consummatissimus Juris Consultus Strykius in
Programmate quodam Wittebergæ anno 1691. edito: Æque
interest Reipublicæ, ne rapiatur ad supplicium ille, qui mor-
tem non meruit, quam ne supplicio eximatur, cujus factum
ipse Deus sanguine piandum ab initio rerum censuit. Hinc
cum Lex naturalis nos obliget, ne in proprium corpus sæ-
viamus, multò minus alterius corpus quod ex eadem carne
&

